

resurgat, necessarium est quod partes ejus essentialis sint eadem numero. Si igitur corpus hominis resurgens non erit ex his carnibus, & his ossibus ex quibus nunc componitur, non erit homo resurgens idem numero.

Has autem omnes falsas opiniones manifestissime Job excludit dicens cap. xix. 26. *Rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum: (1) quem visurus sum ego ipse, & non alius.*

Habent autem & singulae praedictarum opinionum propria inconvenientia. Ponere enim corpus transire in spiritum, est omnino impossibile. Non enim transeunt invicem, nisi quae in materia communicant. Spiritualium autem, & corporalium non potest esse communicatio in materia, cum substantiae spirituales sint omnino immateriales, ut in II. Libro cap. xlix. & l. ostensum est. Impossibile est igitur quod corpus humanum transeat in substantiam spiritua-lem.

Item. Si transeat in substantiam spiritua-lem, aut transibit in ipsam spiritualem substantiam quae est anima, aut in aliquam aliam. Si in ipsam, tunc post resurrectionem non esset in homine nisi anima, sicut & ante resurrectionem. Non igitur immutaretur conditio hominis per resurrectionem. Si autem transibit in aliam substantiam spiritualem, sequetur quod ex duabus substantiis spiritualibus efficietur aliquid unum in natura; quod est omnino impossibile, quia quaelibet substantia spiritualis est per se subsistens.

Similiter etiam impossibile est quod corpus hominis resurgens sit quasi aereum, & ventis simile. Oportet enim corpus hominis, & cujuslibet animalis habere determinatam figuram in toto, & in partibus. Corpus autem habens determinatam figuram, oportet quod sit in se terminabile, quia figura est quae termino, vel terminis comprehenditur; aer autem non est in se terminabilis, sed solum termino alieno terminatur. Non est ergo possibile quod corpus hominis resurgens sit aereum, vel ventis simile.

Præterea. Corpus hominis resurgens oportet esse tactivum, quia sine tactu nullum est animal: oportet autem ut resurgens sit animal, si sit homo. Corpus autem aereum non potest esse tactivum, sicut nec aliquod corpus simplex, quum oporteat corpus per quod fit tactus, esse medium inter qualitates tangibiles, ut sit quodammodo in potentia ad eas, ut Philosophus probat in II. Libro de Anima text. comment. cxi. & infra. Impossibile est igitur quod corpus hominis resurgens sit aereum, & simile ventis.

Ex quo etiam apparet quod non poterit esse corpus caeleste. Oportet enim corpus hominis, & cujuslibet animalis esse susceptivum tangibilium qualitatum, ut jam dictum est. Hoc autem corpori caelesti non potest convenire, quia non est neque calidum, neque frigidum, neque humidum, neque siccum; neque aliquid hujusmodi vel actu, vel potentia, ut probatur in I. de cael. text. comm. xv. Corpus igitur hominis resurgens non erit corpus caeleste.

Adhuc. Corpora caelestia sunt incorruptibilia, & ita transmutari non possunt à sua naturali dispositione. Naturaliter autem eis debetur figura sphaerica, ut probatur in II. de cael. & mundo text. comm. 11. Non est igitur possibile quod accipiant figuram quae naturaliter humano corpori debetur. Impossi-

(1) Vulgata addit *meum*.

bile est igitur quod corpora resurgentium sint de natura caelestium corporum.

CAPUT LXXXV.

Quod corpora resurgentium erunt alterius dispositionis quam ante.

Quamvis autem corpora resurgentium sint futura ejusdem speciei cujus nunc sunt corpora nostra, tamen aliam dispositionem habebunt.

Et primo quidem quantum ad hoc quod omnia resurgentium corpora tam bonorum, quam malorum, incorruptibilia erunt: cujus quidem ratio triplex est.

Una quidem sumitur ex fine resurrectionis. Ad hoc enim resurgunt tam boni, quam mali, ut etiam in propriis corporibus praemium consequantur, vel poenam pro his quae gesserunt dum vixerunt in corpore. Praemium autem bonorum, quod est felicitas, erit perpetuum: similiter etiam peccato mortali debetur poena perpetua: quorum utrumque patet ex his quae in tertio Libro cap. cxliv. determinata sunt. Oportet igitur quod utrumque corpus incorruptibile recipiatur.

Alia ratio potest sumi à causa formali resurgentium, quae est anima. Dictum est enim supra cap. lxxxix. quod ne anima in perpetuum remaneat à corpore separata, iterato per resurrectionem corpus resumeret. Quia igitur in hoc perfectione animae providetur quod corpus recipiat, conveniens erit ut corpus, secundum quod competit animae, disponatur. Est autem anima incorruptibilis: unde & corpus ei incorruptibile reddetur.

Tertia vero ratio sumi potest ex causa activa resurrectionis. Deus enim, qui corpora jam corrupta reparabit ad vitam, multo fortius hoc corporibus praestare poterit, ut recuperata vita in eis perpetuo conservetur. In cuius rei exemplum etiam corpora corruptibilia, cum voluit, à corruptione servavit illaesa, sicut corpora trium puerorum in fornace.

Sic igitur intelligenda est incorruptibilitas futuri status, quia hoc corpus quod nunc corruptibile est, incorruptibile divina virtute reddetur, ita quod anima in ipsum perfecte dominabitur quantum ad hoc quod ipsum vivificet; nec talis communicatio vitae à quocumque alio poterit impedi: unde & Apostolus dicit I. Corinth. xv. 53. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Non igitur per hoc homo resurgens immortalis erit, quod aliud corpus incorruptibile resumat, ut praedictae opiniones posuerunt; sed quia hoc ipsum quod nunc est corruptibile, incorruptibile fiet. Sic igitur intelligendum est quod Apostolus dicit: *Caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt, quod in statu resurgentium corruptio tollitur carnis, & sanguinis, substantia tamen carnis, & sanguinis remanente: unde subjungit: neque corruptio incorruptelam possidebit.*

CA-

CAPUT LXXXVI.

De qualitate corporum glorificatorum.

IV. Sent. dist. xlv. quæst. 11.

Quamvis autem merito Christi, defectus naturae in resurrectione tollatur ab omnibus communiter tam bonis, quam malis; remanebit tamen differentia inter bonos & malos quantum ad ea quae personaliter utrisque conveniunt. Est autem de ratione naturae quod anima humana sit corporis forma, ipsum vivificans, & in esse conservans; sed ex personalibus actibus meretur anima in gloriam divinae visionis elevari, vel ab ordine hujusmodi gloriae propter culpam excludi. Disponetur igitur corpus communiter omnium secundum concedentiam animae, ut scilicet forma incorruptibilis esse incorruptibile corpori tribuat, contrariorum compositione non obstante, eo quod materia corporis humani, divina virtute, animae humanae quantum ad hoc, subjicietur omnino. Sed ex claritate, & virtute animae ad divinam visionem elevatae corpus sibi unitum aliquid amplius consequetur: erit enim totaliter subjectum animae; divina virtute hoc faciente, non solum quantum ad esse, sed etiam quantum ad actiones, & passiones, & motus, & corporeas qualitates. Sicut igitur anima divina visione fruens, quadam spiritali claritate replebitur, ita per quamdam redundantiam ex anima in corpus, ipsum corpus suo modo claritatis gloria induetur: unde dicit Apostolus I. Cor. xv. 43. *Seminatur corpus in ignobilitate, surget in gloria: quia corpus nostrum nunc est opacum, tunc autem erit clarum, secundum illud Math. xlii. 43. Fulgebunt justi sicut Sol in regno (1) Patris mei.*

Anima etiam quae divina visione fruatur, ultimo fini conjuncta, in omnibus experietur suum desiderium adimpletum: & quia ex desiderio animae movetur corpus, consequens erit quod corpus omnino spiritui ad motum obediet: unde corpora resurgentium beatorum futura erunt agilia: & hoc est quod Apostolus dicit ibidem: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Infirmitatem enim experietur in corpore, quia invalidum invenitur ad satisfaciendum desiderio animae in motibus, & actionibus, quas anima imperat: quae infirmitas totaliter tunc tollitur virtute redundante in corpus ex anima Deo conjuncta: propter quod etiam Sapient. 111. 7. dicitur de justis, quod *tamquam scintilla in arundine discurrem*: non quod motus sit in eis propter necessitatem, quum nullo indigeant qui Deum habent, sed ad virtutis demonstrationem.

Sicut autem anima Deo fruens habebit desiderium adimpletum quantum ad omni boni adeptionem, ita etiam ejus desiderium impletum erit quantum ad remotionem omni mali: quia cum summo bono locum non habet aliquid malum. Et corpus igitur perfectum per animam proportionaliter animae immune erit ab omni malo & quantum ad actum, & quantum ad potentiam. Quantum ad actum quidem, quia nulla in eis erit corruptio, nulla deformitas, nullus defectus; quantum ad potentiam vero, quia non poterunt aliquid pati quod eis sit molestum, & propter hoc impassibilia erunt; quae tamen impassibilitas non excludit ab eis passionem quae est de ratione sensus: utentur enim sensibus ad delectationem secundum

(1) Vulgata *Patris eorum*. (2) *Al. natura*. (3) *Vulgata ut impleret.*

illa quae statui incorruptionis non repugnant. Ad hanc igitur eorum impassibilitatem ostendam Apostolus dicit: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.*

Rursus. Anima Deo fruens, ipsi perfectissime adhærebit, & ejus bonitatem participabit in summo secundum modum suum. Sic igitur & corpus perfecte subdetur animae, & ejus proprietates participabit quantum possibile est in perspicuitate sensuum, in ordinatione corporei appetitus, & in omnimoda perfectione naturae. Tanto enim aliquid perfectius est in natura, quanto ejus (2) materia perfectius subditur formae: & propter hoc dicit Apostolus: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Spirituale quidem corpus resurgens erit, non quia sit spiritus, ut quidam male intellexerunt, sive per spiritum intelligatur spiritalis substantia, sive aer, aut ventus; sed quia erit omnino subjectum spiritui; sicut & nunc dicitur corpus animale, non quia sit animal, sed quia animalibus passionibus subjacet, & alimonia indiget.

Patet igitur ex praedictis quod sicut anima hominis elevabitur ad gloriam spirituum caelestium, ut Deum per essentiam videat, sicut in tertio Lib. cap. li. est ostensum; ita ejus corpus sublimabitur ad proprietates caelestium corporum, in quantum erit clarum, impassibile, absque difficultate, & labore mobile, & perfectissime sua forma perfectum: & sic propter hoc Apostolus dicit, resurgentium corpora esse caelestia, non quantum ad naturam, sed quantum ad gloriam. Unde cum dixisset, quod sunt corpora caelestia, & sunt terrestria corpora, subjungit, quod alia est caelestium gloria, alia terrestrium. Sicut autem gloria, in quam humana anima sublevarur, excedit naturalem virtutem caelestium spirituum, ut in III. Lib. cap. lxi. ostensum est; ita gloria resurgentium corporum excedit naturalem perfectionem caelestium corporum, ut sit major claritas, impassibilitas firmior, agilitas, & dignitas naturae perfectior.

CAPUT LXXXVII.

De loco corporum glorificatorum.

Quia vero locus debet proportionari locato, consequens est quod cum corpora resurgentium proprietatem caelestium corporum consequantur, etiam in caelis locum habeant, vel magis super omnes caelos, ut simul cum Christo sint, cujus virtute ad hanc gloriam perducentur: de quo dicit Apostolus ad Ephes. iv. 10. *Qui ascendit super omnes caelos (3) ut adimplet omnia.*

Privolum autem videtur contra hanc divinam promissionem ex naturali elementorum positione argumentari, quasi impossibile sit corpus hominis, cum sit terrenum, & secundum suam naturam infimum locum habens, supra elementa levata elevari. Manifestum est enim quod ex virtute animae est quod corpus ab anima perfectum, elementorum inclinationes non sequatur. Ipsa enim anima sua virtute etiam continet corpus quamdiu vivimus, ne ex contrarietate elementorum dissolvatur; & virtute etiam animae motiva corpus in altum elevatur, & tanto amplius, quanto virtus motiva fortior fuerit. Manifestum est autem quod tunc anima perfectae virtutis erit quando Deo per visionem conjungeretur. Non igitur debet grave videri, si tunc virtute animae corpus & ab omni

corruptione servetur immune, & supra quaecumque corpora elevetur.

Neque etiam huic promissioni divinae impossibilitatem affert, quod corpora caelestia frangi non possunt, ut super ea gloriosa corpora sublevantur, quia a virtute divina hoc fiet, ut gloriosa corpora simul cum aliis corporibus esse possint: cujus rei indicium in corpore Christi praecessit, dum ad discipulos januis clausis intravit.

CAPUT LXXXVIII.

De sexu, & aetate resurgentium.

Non est tamen aestimandum quod in corporibus resurgentium desit sexus foemineus, ut aliqui putaverunt: quia cum per resurrectionem sint reparandi defectus naturae, nihil eorum quae ad perfectionem naturae pertinent, a corporibus resurgentium auferetur. Sicut autem alia corporis membra ad integritatem humani corporis pertinent, ita & ea quae generationi deserviunt tam in maribus, quam in foeminis. Resurgent ergo membra hujusmodi in utrisque.

Neque tamen huic obviat quod usus horum membrorum non erit, ut supra cap. LXXXIII. ostensum est: quia si propter hoc membra in resurgentibus non erunt, pari ratione nec omnia membra quae nutrimento deserviunt, in resurgentibus essent, quia nec ciborum usus post resurrectionem erit. Sic igitur magna pars membrorum corpori resurgentis deesser. Erunt igitur omnia membra hujusmodi, quamvis eorum usus non sit, ad integritatem naturalis corporis restituendam: unde frustra non erunt.

Similiter etiam nec infirmitas foeminei sexus perfectioni resurgentium obviat. Non enim est infirmitas per recessum a natura, sed a natura intenta: & ipsa etiam naturae distinctio in omnibus perfectionem naturae demonstrabit, & divinam sapientiam omnino cum quodam ordine disponentem commendabit.

Nec etiam cogit ad hoc verbum Apostoli quod dicit ad Ephes. IV. 13. Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi. Non enim hoc ideo dictum est quod quilibet in illo occurso quo resurgentes exhibent obviam Christo in aera, sit sexum virilem habiturus; sed ad designandam perfectionem Ecclesiae, & virtutem: tota enim Ecclesia erit quasi vir perfectus Christo occurrens, ut ex praecedentibus, & sequentibus patet. In aetate autem Christi, quae est aetas juvenilis, oportet omnes resurgere propter perfectionem naturae quae in hac sola aetate consistit: puerilis enim aetas nondum perfectionem naturae consecuta est per augmentum; senilis vero aetas jam ab eo recessit propter decrementum.

CAPUT LXXXIX.

De qualitate corporum resurgentium in damnatis.

Ubi supra.

Ex his autem rationabiliter considerare possumus, qualis futura sit conditio corporum resurgen-

(1) Al. frustrata. (2) Vulgata & pseudopropheta.

rium in damnandis. Oportet enim illa corpora animabus damnandorum proportionata esse. Animae autem malorum naturam quidem bonam habent, utpote a Deo creatam; sed voluntatem habebunt inordinatam, & a fine proprio deficientem. Corpora igitur eorum, quantum ad id quod natura est, integra reparabuntur, quia videlicet in aetate perfecta resurgent absque omni diminutione membrorum, & absque omni defectu, & corruptione, quem error naturae, aut infirmitas introduxit. Unde Apostolus dicit I. ad Corinth. XV. 52. Mortui resurgent incorrupti: quod manifestum est de omnibus debere intelligi tam bonis, quam malis, ex his quae praecedunt, & sequuntur in littera. Quia vero anima eorum erit secundum voluntatem a Deo aversa, & sine proprio destituta, eorum corpora non erunt spiritualia, quasi spiritui omnino subiecta, sed magis eorum anima per affectum erit carnalis. Nec ipsa corpora erunt agibilia, quasi sine difficultate animae obedientia; sed magis erunt ponderosa, & gravia, & quodammodo animae importabilia, sicut & ipsae animae per inobedientiam a Deo sunt aversae. Remanebunt etiam passibilia sicut nunc, vel etiam magis; ita tamen quod patientur quidem a rebus sensibilibus afflictionem, non tamen corruptionem; sicut & ipsorum animae torquebuntur a naturali desiderio beatitudinis (1) frustrato. Erunt etiam eorum corpora opaca, & tenebrosa, sicut & eorum animae a lumine divinae cognitionis erunt alienae: & hoc est quod Apostolus dicit I. ad Corinth. XV. 51. quod omnes resurgent, sed non omnes immutabimur: soli enim boni immutabuntur ad gloriam; malorum vero corpora absque gloria resurgent.

Forte autem alicui potest impossibile videri quod malorum corpora sint passibilia, non tamen corruptibilia, cum omnis passio magis facta abiciat a substantia: videmus enim quod si corpus diu in igne permaneat, finaliter consumeretur; dolor etiam si sit nimis intensus, anima a corpore separatur. Sed hoc totum accidit supposita transmutabilitate materiae de forma in formam. Corpus autem humanum post resurrectionem non erit transmutabile de forma in formam neque in bonis, neque in malis, quia in utrisque totaliter perficietur ab anima quantum ad esse naturae; ita ut jam non sit possibile hanc formam a tali corpore removeri, neque aliam introduci, divina virtute corpus animae totaliter subiecte: unde & potentia quae est in prima materia ad omnem formam, in corpore humano remanebit quodammodo ligata per virtutem animae ne possit in actum alterius formae reduci. Sed quia damnatorum corpora quantum ad aliquas condiciones non erunt animae totaliter subiecta, affligentur secundum sensum a contrarietate sensibilibus: affligentur enim ab igne corporeo, in quantum qualitas ignis propter sui excellentiam contrariatur aequalitati complexionis, & harmoniae, quae est sensui connaturalis, licet eam solvere non possit; non tamen talis afflictio animam a corpore poterit separare, cum corpus semper sub eadem forma necesse sit remanere.

Sicut autem corpora beatorum propter innovationem gloriae supra caelestia corpora elevabuntur; ita & locus infimus, & tenebrosus, & poenalis proportionaliter deputabitur corporibus damnatorum: unde & in Psalm. LVI. 16. dicitur: Veniat mors super eos, & descendant in infernum viventes: & Apocal. XX. 9. dicitur, quod diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris: ubi & bestia, (2) &

(1) Al. frustrata. (2) Vulgata & pseudopropheta.

pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum.

CAPUT XC.

Quomodo substantia incorporea patiantur ab igne corporeo.

SED potest venire in dubium, quomodo diabolus, qui incorporeus est, & animae damnatorum ante resurrectionem ab igne corporeo possint pati, a quo patientur in inferno corpora damnatorum, sicut & Dominus dicit Matth. XXV. 41. (3) Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.

Non igitur sic aestimandum est quod substantiae incorporeae ab igne corporeo pati possint, quod earum natura corrumpatur per ignem, vel alteretur, aut qualitercumque aliter transmutetur, sicut nunc nostra corpora corruptibilia patiuntur ab igne: substantiae enim incorporeae non habent naturam corpoream, ut possint a rebus corporeis immutari; neque etiam formarum sensibilibus susceptivae sunt, nisi intelligibilibus: talis autem susceptio non est poenalis, sed magis perfectiva, & delectabilis. Neque enim potest dici, quod patiantur ab igne corporeo afflictionem ratione alicujus contrarietatis, sicut corpora post resurrectionem patientur: quia substantiae incorporeae organa sensuum non habent, neque potentis sensitivis utuntur. Patiuntur igitur ab igne corporeo substantiae incorporeae per modum alligationis cujusdam. Possunt enim alligari spiritibus corporibus vel per modum formae, sicut anima corpori humano alligatur, ut det ei vitam; vel etiam absque hoc quod sit ejus forma, sicut necromantici virtute demonum spiritus alligant imaginibus, aut hujusmodi rebus. Multo igitur magis virtute divina spiritus damnandi igni corporeo alligari possunt: & hoc ipsum est eis in afflictionem quod sciunt se rebus infimis alligatos in poenam.

Est etiam conveniens quod damnati spiritus poenis corporalibus puniantur. Omne enim peccatum rationalis creaturae ex hoc est quod Deo obediendo non subditur. Poena autem proportionaliter debet culpae respondere, ut voluntas per poenam in contrario ejus affligatur quod diligendo peccavit. Est igitur conveniens poena naturae rationali peccanti ut rebus se inferioribus, scilicet corporalibus, quodammodo alligata subdat.

Item, Peccato quod in Deum committitur, non solum poena damni, sed etiam poena sensus debetur, ut in tertio Lib. cap. cxlv. ostensum est: poena enim sensus respondet culpa quantum ad conversionem inordinatam ad commutabile bonum, sicut poena damni respondet culpa quantum ad aversionem ab incommutabili bono. Creatura autem rationalis, & praecipue humana anima, peccat, inordinate se ad corporalia convertendo. Ergo conveniens poena est ut per corporalia affligatur.

Praterea, si poena afflictiva peccato debetur, quam dicimus poenam sensus, ut in tertio Libro cap. cxlv. ostensum est, oportet quod ex illo hac poena proveniat quod potest afflictionem inferre. Nihil autem afflictionem inferre, nisi in quantum est contrarium voluntati. Non est autem contrarium naturali voluntati rationalis naturae quod spirituali substantiae conjungatur, quinimmo hoc est delectabile ei, & ad ejus perfectionem pertinens: est enim conjunctio similis

(3) Vulgata: discedite a me maledicti etc. (4) Al. loquuntur.

ad simile, & intelligibilis ad intellectum, nam omnis substantia spiritualis secundum se intelligibilis est. Est autem contrarium naturali voluntati spiritualis substantiae ut corpori subdat, a quo secundum ordinem suae naturae libera esse debet. Conveniens igitur est ut substantia spiritualis per corporalia puniatur.

Hinc etiam apparet quod licet corporalia, quae de praemiis beatorum in Scripturis leguntur, spiritualiter intelliguntur, sicut dictum est de promissione ciborum, & potuum; quaedam tamen corporalia quae Scriptura peccantibus comminatur in poenam, corporaliter sunt intelligenda, & quasi proprie dicta. Non enim est conveniens quod natura superior per usum inferioris praemietur, sed magis per hoc quod superiori conjungitur; puniatur autem convenienter natura superior per hoc quod cum inferioribus deputatur. Nihil tamen prohibet quaedam etiam quae de damnatorum poenis in Scripturis dicta corporaliter (4) leguntur, spiritualiter accipi, & velut per similitudinem dicta: sicut dicitur Isaiae ult. 24. Vermis eorum non morietur: potest enim per vermen intelligi conscientiae remorsus, quo etiam impii torquebuntur. Non enim est possibile quod corporeus vermis spiritualement corrodatur substantiam, neque etiam corpora damnatorum, quae incorruptibilia erunt. Flerus etiam & stridor dentium in spiritualibus substantiis non nisi metaphoricè intelligi possunt; quamvis in corporibus damnatorum post resurrectionem nihil prohibeat corporaliter ea intelligi; ita tamen quod per fletum non intelligatur lacrymarum deductio, quia ab illis corporibus nulla resolutio fieri potest; sed solum dolor cordis, conturbatio oculorum, & capitis, prout in fletibus esse solet.

CAPUT XCI.

Quod anima statim post separationem a corpore poenam, vel praemium consequuntur.

EX his autem accipere possumus quod statim post mortem animae hominum recipiunt pro meritis vel poenam, vel praemium. Sunt enim animae separatae susceptibiles poenarum non solum spiritualium, sed etiam corporalium, ut cap. praeced. ostensum est. Quod autem sint susceptibiles gloriae, manifestum est ex his quae in tertio sunt tractata.

1. Ex hoc enim quod anima separatur a corpore, fit capax visionis divinae; ad quam dum esset conjuncta corruptibili corpori, pervenire non poterat. In visione autem Dei, ultima hominis beatitudo consistit, quae est virtutis praemium. Nulla autem ratio esset quare differretur poena, & praemium, ex quo utriusque anima particeps esse potest. Statim igitur cum anima separatur a corpore, praemium, vel poenam recipit pro his quae in corpore gessit.

2. Adhuc. In vita ista est status merendi, vel demerendi: unde comparatur militiae, & diebus mercenarii, ut patet Job. VII. 1. Militia est vita hominis super terram; & sicut mercenarii dies ejus. Sed post statum militiae, & laborem mercenarii, statim debetur praemium, vel poena bene, vel male certantibus: unde & Levit. XIX. 13. dicitur: Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane: Dominus etiam dicit Joel. ult. 4. Cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum. Statim igitur post mortem animae vel praemium consequuntur, vel poenam.

3. Amplius. Secundum ordinem culpae, & meriti